Quelle: http://manuscripta.at/?ID=35407
Copyright: Neustift/Novacella, Augustiner-Chorherrenstift



israel viginti et tribus annis. mortuusque ac sepultus est in samir. huic successit iabyr galaadites. qui iudicauit israel per viginti duos annos. habens. xxx. filios sedentes super triginta pullos asinarum. et principes triginta ciuitatum. que ex nomine eius appellatae sunt auoth iahir. id est oppida iahir. usque in presentem diem in terra galaad. Mortuusque est iahyr. ac sepultus in loco cui uocabulum est camon. Filii autem israel per ceteris uicinis uicinentes noua. fecerunt malum in conspectu domini. et seruierunt ydolis baalim et astaroth. et dis syrie ac sydonis. et moab. et filiorum ammon. et philistiim. dimiseruntque dominum et non colebant eum. Contra quos iratus tradidit eos in manus philistiim et filiorum ammon. afflictique sunt uehementer. et oppressi per annos decem et octo. omnes qui habitabant transiordanem in terra amorrei. que est in galaad. in tantum ut filii ammon iordanem transmisso. vastarent iudam. et beniamin. et ephraim. Afflictusque est israel nimis. et clamantes ad dominum dixerunt. Peccauimus tibi: quia dereliquimus dominum deum nostrum. et seruiuimus baalim. Quibus locutus est dominus. Numquid non egyptii et amorrei. filiique ammon et phylistiim. sydonii quique amalech. et chanaan. oppresserunt uos. et clamastis ad me. et erui uos de manu eorum. et tamen reliquistis me. et coluistis deos alienos. idcirco non addam ut ultra uos liberem. Ite et inuocate deos alienos quos elegistis. ipsi uos liberent in tempore angustie. Dixeruntque filii israel ad dominum. Peccauimus: redde tu nobis quicquid tibi placet: tantum nunc libera nos. Que dicentes omnia de finibus suis alienorum deorum ydola piecerunt. et seruierunt domino: quod doluit super miseria eorum. Itaque filii ammon clamantes in galaad fixere tentoria. Contra quos congregati sunt filii israel: in maspha castra metati sunt. Dixeruntque principes galaad singuli ad proximos suos. Qui primus incipit dimicare: erit dux populi galaad.

Vir autem ille temporis iepthe galaadites. fuit. XI
fortissimus atque pugnator. filius mulieris meretricis: quem natus est de galaad. Habuit autem galaad uxorem de qua suscepit filios. qui postquam creuerant: eiecerunt iepthe dicentes. Heres in domo patris nostri es non possis. quia de altera matre genetus es. Quos ille fugiens atque deuitans habitauit inter ra tob. Congregatique sunt ad eum uiri inopes et latrocinantes: et quasi principem sequebant. In illis diebus pugnabant filii ammon contra israel. Quibus acriter instantibus. processerunt maiores natu de galaad. ut tollerent in auxilium sui iepthe de terra tob. Dixeruntque ad eum. Veni et esto princeps noster. et pugna contra filios ammon. Quibus ille respondit. Nonne uos estis qui odistis me. et eiecistis de domo patris mei: et nunc uenistis ad me necessitate compulsi. Dixeruntque principes galaad ad iepthe. Obhanc igitur causam nunc ad te uenimus: ut proficiscaris nobiscum et pugnes. contra filios ammon: fiisque dux omnium qui in galaad habitant. Iepthe quoque dixit eis. Si uere uenistis ad me. ut pugnem pro uobis contra filios ammon: tradiderique eos dominus in manus meas. ego eo principem uestrum: Qui responderunt ei. Dominus qui hec audit. ipse mediator ac testis est. quod nostra promissa faciemus. Fuit itaque iepthe cum principibus galaad. feriique cum omnis populus principem sui. Locutusque est iepthe omnes sermones suos coram domino in maspha. et misit nuntios ad regem filiorum ammon. qui ex persona sua dicerent. Quid michi et tibi est. quia uenisti contra me. ut uastares terram meam: Quibus ille respondit. Quia tulit israel terram meam. et ascendit de egypto a finibus armon usque in iabocch. atque iordanem. Nunc igitur cum pace reddite mihi eam. Quos rursum mandauit iepthe. et imposuit eis. ut dicerent regi ammon. Hec dicit iepthe. Non tulit israel terram moab. nec terram filiorum